



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XLII. De absolute casuum reservatorum impertidenda ab eo, qui
potestatem non habet in reservata, & pœnitens non vult, nec potest
reservatum alteri confiteri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

C A S U S XLII

De Absolutione Casuum reservatorum impertienda ab eo, qui potestatem non habet in reservata.

PUella quædam nobilis Rosina nomine ex occulta fornicatione prolem suscepit, eamque secretissimè interemit. Hujus atrocitate facti perterrita triennio à Pœnitentiæ Sacramento abstinuit, putans nullum animæ suæ remedium Spirituale superesse. Cùm verò aliquando à Concionatore audivisset, nullum tam grave peccatum dari, cujus venia à Divina misericordia, mediante pœnitentia, impetrari non possit, spe remissionis concepta ad pedes dicti Concionatoris provolvitur, eique Sacramentaliter inter alia etiam prænarratum crimen confessâ est, petens à suis peccatis se absolvi. Concionator audita Confessione eidem significavit se ex defectu jurisdictionis illam non posse absolvere, cùm homicidium ibi sit casus reservatus, nec posse interea per litteras facultatem obtinere, eò quòd instet tempus sui discessus in suam Provinciam; Quare paternè eam admonet, ut ad Parochum suum accedat pro absolutione obtinenda, si ea potestate præditus sit, vel ut saltem pro licentia eam absolvendi ad Ordinarium scribat; at illa allegans Parochi, cæterorumque ejus loci Confessariorum amicitiam cum ejus Parentibus, tantò magis pro absolutione instabat, protestans, se desperatam vitam, ut ante potius ductutam, quam ut iterum prædictum crimen alicui alteri Confessario pandat, tantò magis, quia extra Parochiam ob parentum severitatem & notam infamiæ incurrendam exire non possit, quò liberius ignoto Confessario confiteri queat, & præcepto de peragenda communione Paschali satisfaciat. Unde Concionator dubius, & anxius, quid facere debeat iis in circumstantiis.

QUÆR. I. Quomodo se gerere debeat Confessarius non habens potestatem in reservata, si in Confessione advertat, inter non reservata exponi etiam reservata?

QUÆR. II. An prædictus Concionator directè absolvere potuerit Rosinam in iis circumstantiis?

QUÆR. III. Quibus aliis mediis eam juvare potuerit?

241

AD Q. I. Variæ sunt DD. sententiæ. Aliqui, iique graves DD. apud Dicastill. *tr. 8. de Sacram. Pœnit. dubit. 17.* putant, absolutè, & sine ulla alia adhibita restrictione posse talem Confessarium absolvere pœnitentem ab omnibus peccatis cum onere tamen comparandi coram Superiore pro reservatis, quia censent, reservationem non fieri quoad absolutionem, sed quoad confessionem non Sacramentalem, ut scilicet subditus teneatur peccata reservata ad Superiorem deferre, ut ab ipso circa illa dirigatur, & pro eis pœnitentiam, & medelam convenientem accipiat: fieri autem posse, ut quis absolvatur ab omnibus peccatis etiam reservatis, & quòd obligatus maneat ad deferendâ reservata ad Superiorem pro dicta instructione, & medela. Quorum sententiam limitant Sotus, Henriq. Suarez. Coninch. & alii RR. ut locum duntaxat habeat pro casu gravis necessitatis absolutionis, ut si non possit omitti Confessio, aut Communio sine gravi nota pœniten-

tis, aut scandalo; & insuper pro casu, quo pœnitens præter reservata confitetur etiam alia non reservata, & quando peccatum reservatum non habet annexam Excommunicationem.

Alii cum Richard. in *4. dist. 17. a. 2. q. 8.* Vasq. *q. 91. a. 3. dub. 9.* Adriano *q. 4. de Confess. Turrian. D. 31. dubit. 6.* aliisque RR. affirmant, Confessarium inferiorem extra articulum mortis non posse absolvere à reservatis, quamvis eis non sit annexa Excommunicatio, & quamvis pœnitens confiteatur alia peccata non reservata; sed tunc pœnitentem comparatione, & respectu reservatorum carere Confessario, adeoque urgente necessitate Confessionis, posse confiteri cætera non reservata, omisso illo peccato, de quo probabiliter timet grave incommodum, & de reservato se gerere, tanquam non esset copia Confessarii, eò quòd juxta Trident. *Sess. 14. c. 7.* Sacerdotes inferiores extra articulum mortis nihil possint in casibus reservatis, adeoque

adeoque quoad reservata nequeant esse Judices; absolutio autem dari non possit, nisi à Judice.

Alii (quorum sententia magis placet) cum Navar. in *C. consideret*, §. *cautus*, n. 13. Suarez *D. 37. S. 2. & D. 30. S. 3.* Coninch. *D. 8. dub. 13.* Rodriq. *q. 21. a. 5.* Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 12.* Dicastill. *l. c. n. 303.* Bonacina *D. 5. q. 7. p. 5.* Soto, aliisque pluribus ajunt, Ordinariè non debere Confessarium absolvere pœnitentem habentem casum reservatum, sed ad Superiorem mittendum esse, vel ab eodem facultatem absolvendi petendam esse, ut constat ex Trident. *l. c.* in casu tamen urgentis necessitatis, ut si sumenda sit *S. Eucharistia*, vel peragenda annua Confessio ad vitandum scandalum, vel infamiam pœnitentis, & Superior commodè adiri nequeat, posse tunc Confessarium absolvere pœnitentem confitentem etiam alia non reservata, directè quidem à non reservatis, indirectè autem à reservatis, imposito tamen onere pœnitenti se sistendi Superiori, ut à reservatis quoque directè absolvatur, nisi ipsemet Confessarius malit licentiam absolvendi petere, non nominata persona. Rationem dant, quia integritas Confessionis, & absolutionis directæ omnium peccatorum pœnitentis non est de essentia, & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, sed præcepti divini, cujus ommissio læpè

honestatur ob impotentiam etiam moralem tum pœnitentis, tum Confessarii, tum aliorum. Posito ergo, quòd pœnitens ligatus casu reservato ex una parte nequeat Superiorem adire, aut absolvendi licentiam ab eo petere; ex altera parte urgeat necessitas communicandi, vel celebrandi, poterit Sacerdoti habenti jurisdictionem in reliqua non reservata confiteri, ab eoque dicto modo absolvi: imò non solum potest, sed etiam expedit, ut notat Palao *tr. 23. D. un. p. 15. §. 7.* tum dignitati, & reverentiæ Eucharistiæ exigentis, ut à conscio peccati mortalis præmittatur Confessio; tum securitati pœnitentis eam suscipientis: & licèt ea Confessio fieri non possit materialiter integra ob defectum jurisdictionis in Sacerdote, sufficit, quòd sit formaliter integra, habeatque eam integritatem, quam hïc, & nunc habere potest. Id, quod Suarez *D. 31. S. 3.* Palao *l. c.* Laym, Henriq. Coninch, & alii extendunt etiam ad casum, quo Excommunicatio annexa est reservationi; quia, cum Excommunicatio jure tantum Ecclesiastico arceat ab usu *S. Eucharistiæ*, & Pœnitentiæ, cessat ejus obligatio in casu magnæ necessitatis, cum lex humana, & Ecclesiastica non censeatur obligare in casibus maximæ necessitatis; atque adeò si excommunicatus ad vitandam infamiam suscipere potest *S. Eucharistiam*, multò magis in tali necessitatis

casu à peccatis absolvi poterit, non obstante Excommunicatio-
ne.

lius est, securius, & puritati Sacra-
menti convenientius.

242

Quòd si tamen communicandi necessitate constrictus, habensque duntaxat peccatum reservatum, Superiorem accedere non possit, ut ab illo absolvatur, non esse obligatum, ut inferiori Sacerdoti confiteatur, si absit scandalum, & communicaturus existimet se contritum esse, docet Suarez cum aliis citt. *D. 30. S. 5. n. 32.* ex regula communiter recepta apud Navar. *in c. placuit n. 112. d. 6. de penit.* quòd nemo per se loquendo obligari possit, ut idem peccatum bis confiteatur; talis autem idem peccatum reservatum bis confiteri deberet, scilicet non tantum inferiori, sed etiam postea Superiori; per accidens tamen, si poenitens alia peccata mortalia non reservata habeat, unà cum iis etiam reservata confiteri debere, tradunt complures contra Alex. Alenf. Petrum de Soto, & alios à Suarez. citatos *D. 31. citt. S. 3. n. 8.* imò communis sententia teste Laym. l. c. cum Henriq. Suarez, Palao, S. Th. *in 4. d. 17. q. 3. a. 2. q. 2.* ubi in responsione ad quartum ita fatur: etiam si Sacerdos non possit ab omnibus absolvere, tenetur sibi omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscat, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittat. Id quod probabi-

Ad 2. Q. An præfatus Concio-
nator directè absolvere potuerit
Rosinam in iis circumstantiis? Re-
spondet Dicastill. *de Sacram. Penit.*
tom. 2. tr. 8. d. 11. dubit. 17. n. 305.
Confessarium, qui ex vi suæ facul-
tatis generaliter habet jurisdictionem
absolvendi ab omnibus pec-
catis non reservatis in casu urgen-
tis necessitatis probabiliter posse
directè absolvere ab iis, quæ aliàs
sunt reservata, eò quòd pro tali
casu prudenter præsumatur non
esse reservata, ut quando urgente
necessitate Confessionis, aut Com-
munionis Paschalis impossibilis mor-
raliter, aut valde difficilis aditus ad
Superiorem, vel alium delegatum
datur. Rationem dat, quia cum
potestas Superioris, & exercitium
illius semper sit, & præsumatur
esse in bonum, & ædificationem,
& non in destructionem anima-
rum, & in hoc casu reservatio po-
tius cederet in damnum, quàm in
bonum poenitentis, non censetur
Superior exercere suam potesta-
tem reservandi absolutionem pro
illa occasione; & circumstantiis,
quando ex reservatione gravissima
damna sequerentur, & tanti Sa-
cramenti frequentiam privaretur,
imò & Communionem Paschali.
Hæc autem voluntas credita, vel
præsumpta Superioris ex parte
Superioris, quæ tale peccatum
hic,

hic, & nunc ab inferiore Confessario possit absolvi, non est voluntas illa præsumpta, aut ratihabitio, seu interpretativa, quæ censetur velle hic, & nunc, ut tale peccatum reservatum absolva-
tur; talis enim voluntas nulla est, nec eam Superior actu significat, ut virtute illius censetur inferior habere jurisdictionem, prout tamen requiritur, ut voluntas illa per aliquod signum exterius manifestetur, ut cum aliis docet Vasq. apud Mendo; sed est duplex alia voluntas Superioris, una, quæ contulit Confessario potestatem generalem absolvendi omnia peccata non reservata; altera est voluntas Superioris reservantis, quæ non censetur reservare peccata pro casibus tantæ difficultatis; quibus duabus voluntatibus sic probabiliter præsuppositis, & præsumptis censetur libera, & expedita facultas ad absolvendum ab illis peccatis, tanquam non reservatis, quæ aliàs extra illam occasionem, & circumstantias censerentur reservata.

Hanc doctrinam approbat etiam Diana *part. 11. tit. 8. R. 49.* ubi ait: Satis hæc probabiliter dicuntur: Unde Confessarius audiendo Confessionem nobilis faminæ, quæ confessa est aliquod peccatum reservatum, quæ si non sumeret Eucharistiam, mater ejus in aliquam suspicionem veniret cum nota, & infamia puellæ, posset in ta-

li casu Confessarius illam directè absolvere, quia tunc illud peccatum, ut probavit Dicastillo, non esset reservatum. Unde

Si talis supponatur casus Rosinæ, posset ille Confessarius iis in circumstantiis ab Ordinario aliàs approbatus in praxim deducere hanc non improbabilem opinionem; secus tamen, si Parochus, vel alius præditus esset potestate absolvendi à reservatis, quem posset accedere, & solum nolit, quia erubescit valde suum peccatum Parocho aperire, utpote sibi, vel parentibus suis valde familiari, & noto; nam sola erubescencia, & familiaritas non est causa sufficiens declinandi Confessarium in reservata jurisdictionem habentem; nam ideo reservantur peccata, ut per difficultatem obtinendi absolutionem vitentur hujusmodi peccata: ergo non potest esse voluntas Reservantis, ut pro casu magnæ erubescencia, & difficultatis deobligetur pœnitens, ut confiteatur habenti potestatem in reservata, aliàs hæc voluntas everteret finem, saltem partialem ipsius reservationis. Accedit, quod erubescencia, & jactura, quam confitendo facit pœnitens, sui boni nominis, & æstimationis, sit per se annexa Confessioni, & imbibita in ipsa peccatorum manifestatione, sintque hujusmodi onera intrinseca ipsi Sacramento Pœnitentiæ. Quod si Rosina obstinato

nato

nato animo obfirmata esset; se nullo alteri velle suum peccatum detegere, tunc tanquam indisposita nec directè, nec indirectè absolvenda foret.

Cæterùm non defuere tali Confessario media juvandi suam pœnitentem, nimirum persuadendo, ut accederet Religiosum aliquem habentem delegatam potestatem in reservata, vel benè considerando, an non aliqua circumstantia eam potuerit excusare à reservatione, v. g. quia ignoravit homicidium esse casum reservatum, qua posita ignorantia probabile est non incurri casum reservatum, prout docent Navar. in man. c. 27. n. 180. Graff. de casib. reserv. l. 2. c. 40. n. 29. Quintanad. Burghab. & alii, & satis probabile censet Diana p. 10. tr. 16. R. 3. Qua proin opinione non imprudenter usus fuisset Confessarius advertendo magnam in sua pœnitente renitentiam, & difficultatem adeundi legitimum

Confessarium; nam ubi vertitur magnum animæ periculum, ibi consulendum est omni meliori modo, probabili tamen, quò potest. Atqui improbable non est ignorantiam excusare à reservatione: ergo.

Præterea si dicta pœnitens extra Parochiam ob parentum severitatem, sicut infamiae notam incurrendam exire non posset, quo liberius ignoto Confessario confiteri posset, nec proprius Parochus jurisdictionem in reservata haberet, tunc instante præcepto Communionis Paschalis poterit à Confessario, cui facta est suum peccatum reservatum, unà cum alijs non reservatis, indirectè ab illo absolvi cum obligatione tamen, ut data occasione procuret directam absolutionem ab habente facultatem, v. g. à Religioso aliquo privilegiato, vel ab alio jubilæi tempore &c.

